

siꝝ, à qua vocatio fieri debet; vel non adest ministerium, cùm nempe mortui sunt omnes ministri ecclesiæ, quibus tamen præter populum jūs vocandi & eligendi ministrum ecclesiæ competit; tali in casu queritur, annon aliquis in isto cœtu, ubi non sunt, qui vocent ministrum ecclesiæ, etiam sine vocatione partes ministri ecclesiæ in se recipere, & officio ecclesiastico fungi possit? Pro affirm. sententia adduci potest 1. quod hic sit necessitatis casus, necessitas autem non habet legem: videtur igitur excusari posse, si quis tali in casu sine vocatione populum publicè doceat, homines à peccatis absolvat, baptismum & S. cænam administret. &c.

2. videtur hoc ipsum probrare B. Lutherus, qui in libr. de abusu Miss. lib. de Instit. Eccles. Ministr. Tom. 2. Jen. Lat. f. 553. docet vocationem non esse necessariam, sed posse aliquem etiam sine vocatione in Ecclesiâ docere.

3. Si Christiani quidam vivunt inter barbaros, ut nulli sint vicini ministri, quorum ministerio uti possint, ibi sine dubiō concessum est sine vocatione fungi ministerio Ecclesiastico. E. etiam in proposito casu, cum etiam sit casus necessitatis.

§. 2. Verum his non obstantibus, juxta verbum DEI statuendum est, quod etiam in proposito casu sine vocatione ministerio ecclesiastico fungi non liceat. Nam (1.) Apost. requirit vocationem tanquam necessariam ad hoc, ut quis fungatur ministeriō ecclesiasticō, Rom. X, 15. *Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint, q. d. prædicare (scil. ordinariè, & ecclesiasticō ministeriō fungi) non licet, sine missione & vocatione.* (2.) Ebr. V, 4. Apostolus ait: *Nemo sibi ipſi usurpat honorem, sed qui vocatur à DEO, quemadmodum Aaron.* ubi not. quod verba usurpare honorem non notent actum, sed jus & debitum, ut idem sint, ac nemo sibi ipſi usurpare debet honorem sine vocatione, sicut in illo Malach. I, 6. *Filius honorat patrem,* i. e. honorare debet. (3.) Ministri Ecclesiæ sunt legati DEI, nomine Christi legatione funguntur 2. Cor. V, 20. at verò munus Legationis nemo sibi sumit, nisi à Principe ei demandatum sit: ita ministeriō ecclesiasticō nemo fungi debet, nisi à DEO missus & vocatus sit. (4.) Denique multum refert, ut populus sciat, an habeat legitimum ministrum, si quis verò sine vocatione fungatur ecclesiæ ministeriō, populus non potest esse certus de legitimo Ecclesiæ ministrō.

§. 3. Quisque igitur sibi caveat, ne absque legitimâ vocatione ministerio ecclesiastico fungi conetur, obortis enim temptationibus & adversitatibus in officio non demandato, non habet, unde solatium petat. Hinc non sine causa B. Lutherus: *Nostra consolatio, qui sumus in ministerio*